This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MART. HERM. GEISWEIT

ORATIO

DE

URBE ROMA,

Habita Gorinchemi V Idus Septembris

CIↃ IↃ CC XXVII.

Cum ad Academiam dimitteretur.



GORINCHEMI,

Apud JACOBUM van WYK. 1727.

24

2365 d. 2

Digitized by Google

Digitized by Google

VERA VIRTUTE AC FIDE CONSPICUO

ADMODUM VIRO

GULIELMO GEISWEIT,

VECTIGALIUM GELRIÆ MAJORUM AQUATICORUM CIVITATIS BOMMELIÆ QUÆSTORI, ET GORINCHEMENSIUM COMMISSARIO, PARENTI OPTIMO INDULGENTISSIMOQUE, FILIALI AMORE ÆTERNUM PROSEQUENDO.

NEC NON

NOBILISSIMIS AMPLISSIMISQUE VIRIS

ADRIANO DE GRANDE, *J. U. D.*

IN SUPREMA HOLLANDIÆ ZEELANDIÆQUE CURIA SENATORI, COGNATO MEO AD ARAS USQUE HONORANDO, ETC.

UT ET

WILHELMO VAN STRYEN, *J. U. D.*

SENATORI, JUDICI ET THESAURARIO GOUDANO, ETC.

VIRIS DE REPUBLICA PLURIMUM MERITIS, DEBITA, A ME PIETATE ET SUBMISSIONE ANIMI COLENDIS, ETC.

ORATIONEM HANC MEQUE TOTUM

D. D. D.

MART. HERM. GEISWEIT.

Digitized by Google

AD

CARISSIMUM FRATREM

M: H: GEISWEIT.

INtemeratus honos doctæ, Martine, juventæ!
Dulce decus generis deliciæque tui!
Vita cui mecum patri debetur eidem,
Pro quo non metuam fata ſubire lubens:
Luminibus vitæque meæ vel carior aurâ!
O bene fraterno ſanguine junCte mihi!
Exultat mea mens, & plurima gaudia carpit:
Dum premit ex merito pulchra corona caput,
Dum tua victrici decoratus tempora lauro
Hic iterum nobis conſpiciendus ades.
Muſa novum titulum titulis accedere veſtris
Gratatur, magnâ lætitiaque canit:
Grandis honos juvenum, quo non generoſior alter
Floret in Eois Heſperiisque plagis!
Quem probitas morum, quem ſumma modeſtia vitæ
Laudat, & ingenium ſedulitate potens.
Ne te pœniteat (quid enim manifeſta negamus)
Piëridum totâ mente vacaſſe ſacris.

Ne

Digitized by Google

Ne te pœniteat, cum nox tegit omnia velo,
Assiduo studiis invigilasse tuis.
Scilicet ipse vides, quantum solertia mentis,
Quantum sedulitas sæpe juvare potest.
Dum tibi magna tuæ referuntur præmia curæ,
Præmia, sollicito parta labore tibi.
Perge decus juvenum, preme pulpita clara Minervæ,
Magnaque dic nobis quid sibi Roma velit!
Perge nec invideo, doctæ decus esse Juventæ,
Quo pede cœpisti, sic bene semper eas!
Hinc, mihi crede, tuum consurget nomen ad astra,
Concinet hinc laudes terra remota tuas.
Donec & orbis erit pelagusque quod ambiat orbem,
Hinc illustre decus post tua fata feres:
Sed quid Musa facis? quæ te dementia cœpit?
Sic adeo vestro fugit ab ore pudor?
Non decet hoc fratrem! vetat hoc verecundia morum:
Talia Musa procax desine plura loqui!
Hæc tibi pauca tamen supereſt, Germane, precari,
Hæc tibi fraternæ pignora mentis habe.
Quo te fata vocant, superis qui regnat in astris,
Per mare per terras sit comes usque tuus.
Quidquid & aggrederis cedat feliciter, omni
Incœpto faveant Numina dextra tuo!
Vive diu incolumis; nec te fata impia tangant!
Quotque tibi veniant, sint sine nube dies.
Vive diu felix! donec Rex summus Olympi
Det tibi cœlicolas inter habere locum.

G: GEISWEIT.

AL-

Digitized by Google

ALLOCUTIO.

Nobiliſſimi & plurimum reverendi Gymnaſii Gorinchemenſis Curatores.

Civitatis hujus Conſules & Senatores, quotquot adeſtis, ampliſſimi.

Oraculorum Divinorum Interpretes docti atque venerandi.

Illuſtris Scholæ Profeſſor & Rector eruditiſſime.

Spectatiſſimi Auditores, caterique omnium facultatum Viri ornatiſſimi.

Cariſſimi denique Commilitones, ſpes Patriæ, parentum voluptas.

MAR-

Digitized by Google

MART. HERM. GEISWEIT

ORATIO

DE

URBE ROMA.

Quoniam ad humanitatem non parum intereſſe videtur, naturalem omnium mortalium feritatem non modo rebus divinis rite perpetrandis temperari atque miteſcere, verum etiam ſummo ſtudio id operam dari, ut plerique homines, quibus neque agriculturæ neque venationibus, vacandum eſt, in unâ aliqua civitate communique ſocietate vivendi coaleſcant, iisdemque legibus pareant: denique nihil reliqui faciant, quin omnibus ad vitam neceſſariis artibus opibusque inſtructi ſtabiliantur, & aliorum contra inopiam contemnant.

Huc

Digitized by Google

Huc reſpiciens rei militaris ſcriptor diligentiſſimus Vegetius in quarti libri limine hujuscemodi verba fecit: Agreſtem, inquit, incultamque hominum initio ſeculi vitam à communione brutorum animalium Urbium conſtitutio prima diſcrevit. In his nomen reipub. peperit communis utilitas. Ideo potentiſſimæ Nationes aç Principes conſecrati nullam majorem gloriam putaverunt, quam aut fundare novas civitates, aut ab aliis fundatas in nomen ſuum ſub quadam amplificatione transferre. Quibus ſimiliter dictis accedit civilis prudentiæ peritiſſimus poeta Venuſinus, ubi ita canit.

------- *Fuit hæc Sapientia quondam,*
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno.

Quare etiam poſt alios permultos urbium conditores Remus Romulusque iisdem adducti rationibus, ſtatuerunt in illis locis ubi nati & educati erant, novam urbem condere. De quà pauca diſſerere pro exiguo, quod nobis, conceſſum eſt, temporis ſpatio conſtitui, & more eorum, qui poſitis jam linguarum fundamentis Academicorum albo inſertos ſe cupiunt, qualibetcunque hac oratione defungar.

Vos interea Auditores adeſte æquis animis, & quam aliis ex hoc loco verba facientibus attentionem & benevolentiam non denegaſtis, eandem nunc mihi lubentes præſtare velitis etiam atque etiam rogo.

Per

Digitized by Google

PEr urbem, quam nonnulli a civitate distinguunt, intelligimus locum, ubi non tantum junctâ hominum Societate multarum, immo omnigenarum rerum in vitâ utilium coacervatio & communio reperitur, sed & earundem tutela & conservatio, ne hostis illas inopinas opprimat diripiatque: quare mœnibus portis ac fossis circumdetur necesse est.

Ex quo etenim Deos negligere homo recens natus cœpit, instrumentis & machinis, quibus omnes arcentur injuriæ opus fuit: ætatem hanc, ut ferream, repræsentarunt Poëtæ: sic Ovidius (a)

Jamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum
Prodierat, prodit bellum, quod pugnat utroque
Sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
Vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus,
Non socer à genero: fratrum quoque gratia rara est.

Primam, de quâ sacer Codex mentionem facit, condidisse urbem ferunt Cainum, cui & à filio Hanoch nomen inditum est. (b) Is enim à fratre occiso profugus sedem rerum ac fortunarum suarum alio traduxit & metu vindictæ in tuto se recepit quæ quidem jaciendis urbis primæ fundamentis causa extitisse videtur. Præterea sunt, qui prædam agendi in vicinos, ex raptu vivendi seque intra hæc tandem mœnia in tuto collocandi studium urbi exstruendæ occasionem præbuisse cum maxime credunt. Is enim Josephi auctoris gravissimi testimonio, (c) erat ἄυξων τὸν ἴδιον πλήθει χρημάτων ἐξ ἁπαγῆς καὶ βίας πρὸς ἡδονὴν καὶ λησταίαν τοὺς ἐνθυγχάνοντας παρακαλῶν, *auctturus facultates domesticas divitiarum abundanti copia, quam sibi rapiendo & vim inferendo parabat, ad voluptatem & prædationem quosvis obvios pellexit.*

Quo autem modo Cainus hanc urbem exstruxit sacra

(a) *Metam. Lib.* I. *vs* 141. *etc.* (b) *Gen.* IV. 17. (c. *Ant. Jud. Lib.* I. *cap.* 3.

Scripturâ tacente tacemus. Ceterum urbes quamplures non ab initio deſtinatæ fuerunt ad municipii vel oppidi formam, ſed vel ex pagis ſæpe etiam ex caſtris urbium aliam faciem paulatim aſſumebant. Quandocunque vero Romani oppidum de integro excitare conabantur, iſtius urbis fundamenta certis quibusdam ſolennibus initiare ſolebant, quemadmodum memoriæ prodidit graviſſimus ſcriptor Plutarchus. (*a*) Eam autem deſcriptionem multo clarius expedivit Alexander Donatus. (*b*) Capto auſpicio, inquit, ceremonias Hetruscorum imitatus eſt atque ſecutus Romulus, nimirum ductâ foſſâ quadrangulari, eaque bonorum cujuslibet generis portiuncula vel terrâ repletâ, quam quisque de patrio ſolo advexerat, ei ara imponebatur. Ex hac vero foſſâ, quæ & *mundus* & *olympus* dicebatur, circumſcripſere tanquam è centro *circulum*, qui orbis & contracte urbs nuncupari ſolebat: cum qua ſignificatione Græcorum πόλις congruit. (*c*)

Fiebat deinceps ſuper ducta linementa ſulcus ab *aratro* ſive *vomere*, qui & *urbum* nominatur, unde & urbis nomen commodè deduci poteſt. (*d*) Huic autem aratro jungebatur boum par mas atque femina, ut urbis ſperandum ita incrementum ſignificaretur.

Sequentium denique munus erat, excitatas ab aratro glebas introrſum vertere & ſpatium poſt mœnia relinquere vacuum, cum ante tum poſt murum, in quo domum exſtruere nefas erat. Hic autem locus dicebatur *pomœrium*, quaſi poſt *mœrium*, ut *pomeridianus* pro *poſtmeridianus*, de quibus conſule ſis Feſtum Grammaticorum Coryphæum.

Cum tandem *porta* exſtruenda erat, portabant aratrum, unde vocabuli hujus vera denominatio: adeo ut Sacra non eſſet veluti mœnia, quæ ſecundum legem Regiam atque Pandectas (*e*) *ſancta* (*f*) habebantur, eorumque tranſitio ca-

(*a*) *In Romul.* (*b*. *De Urbe Roma. Lib.* I. *cap.* 2. (*c*) *Salmaſ. in Solin. p.* 576. (*d*) *Feſt. in Urnat.* (*e*) *Lib.* I. *Tit.* 9. (*f*) *Inſtit. Lib.* II. *de R. D.*

capite plectebatur, ut in tristissimo Remi exemplo manifestum est. Si tandem porta teneretur eadem religione necessaria, quamvis impura, in urbem recipi vel exportari nefas esset. (a)

Conveniunt hæc omnia cum principum poëtarum testimoniis; cum vel quemadmodum olim Romulus vel posteà Romani in coloniis facere consueverunt, versibus declarant. Sic Ovid. (b)

Fossa fit ad solidum, fruges jaciuntur in imâ,
Et de vicino terra petita solo est.
Fossa repletur humo, plenæque imponitur ara
Et novus accensô funditur igne focus:
Inde premens stivam designat mœnia sulco;
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.

De muris non transeundis idem cecinit: (c)

Neve quis aut muros aut factam vomere terram
Transeat, audentem talia dede neci.

Postquam iis, quibus ob naves exustas in Sicilia permanendum erat, urbem exstruere Æneas animum induxerat, ita deinceps Virgilius canit: (d)

Interea Æneas urbem designat aratro,
Sortiturque domos.

Ut ad ipsam urbem Romam tandem propius accedamus, qualicunque hac promulside præmissâ. Condita quidem esset ex opinione multorum à Pelasgis ante Romuli ætatem, eandemque Solino autore Valentiam primum ac deinde ab Evandro Romam vocatam. Alii originem urbis ad Romum Æneæ vel Ascanii filium referunt. Romum vero alii fuisse dicunt Ulyssis & Circes sobolem. Hos similesque

(a) Plut. Loc. Cit. (b) Fast. IV. 821. (c) Ibid. 839. (d) Æn. V. 755.

profligatum ibo unius Patavini noſtri verbis: (a) *Quæ*, inquit, *ante conditam condendamve urbem Poeticis magis decora fabulis, quam in corruptis hiſtoriarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo eſt.*

Omnium maxime vulgata nec non à fide dignis recepta ſcriptoribus ſententia eſt Romam ab origine Trojanâ initium duxiſſe. Illam opinionem poſt Livium Dionyſius atque Plutarchus tuentur, ne prætereamVirgilium, qui Poëtarum more interdum (b)

——— veris falſa remiſcet

hic partem hiſtoriæ veram tetigiſſe cenſendus eſt, dum ita Æneida ſuam orditur:

Arma virumque cano, Trojæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lavinaque venit
Littora.

Et paulo inferius ita pergit:

Multa quoque & bello paſſus, dum conderet urbem
Inferretque Deos Latio, Genus unde Latinum
Albanique patres atque altæ mœnia Romæ.

Scilicet Æneas à Græcis liberè dimiſſus cum Antenore, cum vetuſti jure hoſpitii, tum quia pacis reddendæque Helenæ auctores ſemper fuerant: dumque in Venetos hic ſe contulerat, ille in Siciliam, & inde in Italiam claſſe delatus eſt Laurentemque tenuit agrum. Trojani in littore expoſiti cum omnium rerum indigerent & prædas agendo famem tolerarent, prohibentur a Latino Aboriginibusque. Hinc vel prælio victus Latinus, vel quod mihi fit veriſimilius, cognito Æneâ ejusdemque adventus cauſâ, pacem cum eo fœdusque amicitiæ cum publicæ tum privatæ filia in matrimonium datâ, junxit. Poſtquam vero Æneâ fatis fun-

(a) *Liv. in Præf.* (b) *Horat. Art. Poët.*

functo, filius Aſcanius ad adultam pervenerat ætatem, matri Lavinium ſatis opulentum ceſſit, ipſe copia hominum ſuperante Albam cognomento longam condidit (*a*) unde cecinit olim Mantuanus.

Aſcanius longam muris cum cingeret Albam.

Dionyſius, cui ab Halicarnaſſo nomen eſt, Livium in Regum Albanorum recenſione ſecutus poſt bis ſeptimam progeniem devenit ad Numitorem, cujus filia ſive Rhea ſive Ilia nominata, ex Marte vel potius ex milite gravida geminos Remum & Romulum peperit eosque lupæ ſive meretrici Larentiæ educandos dedit. Adultiores pueri vivunt ex rapto, quam ob cauſam accuſati deferuntur ad Numitorem, qui poſtquam adoleſcentes è lineamentis vultuum cognoverat, patrisque in ſe ſcelus morte luendum conceſſerat, novam ab iis urbem condi permiſit, quam á Romulo & exſtructam & nominatam eſſe vulgo creditur: ego autem, cum Remo etiam urbis ſtructura aſſignatur, ut Propertius teſtatur: (*b*)

Regnave prima Remi aut animas Carthaginis altæ.

exiſtimarem illum prima jeciſſe fundamenta, cum Demſtero (*c*) Et Remum, qui Ῥῶμος á Græcis vocatur, paulo prius natum fuiſſe, unde alter quaſi per diminutivum Romulus dicebatur, ut apud Ælianum commentatus eſt O. πάνυ Jac. Perizonius. (*d*) Atque hinc vulgatior ſententia pro Romulo militat. Nam præter Ovidium (*e*) ſententiam hanc aſſerit Virgilius talibus verbis: (*f*)

Hic jam ter centum totos regnabitur annos

(*a*) Liv. I. 3. (*b*) Prop. IV. 1. (*c*) Ad Roſin. cap. 1. (*d*) Lib. VII. 16. (*e*) Faſt. IV. 817. (*f*) Æn. I. 276.

Digitized by Google

Gente ſub Hectorea, donec Regina Sacerdos
Marte grævis geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde lupæ fulvo nutricis tegmine lætus
Romulus excipiet gentem & Mavortia condet
Mœnia, Romanosque ſuo de nomine dicet.

Si quis forte tempus conditæ urbis requirat ſecundum æram vulgarem, quam Dionyſius ſequitur, jacta ſunt Romæ fundamenta anno mundi poſt ter milleſimum ducenteſimo vigeſimo quinto, ante natum humani generis Redemtorem ſeptingentis & quinquaginta circiter annis. Decimo tandem tertio Kalendas Majas, qui dies Deæ Palæ Sacer, cum primum omnium ex vituli favilla ſuffitus fiebat: cujus ceremoniæ rationem redditurus Ovidius has inter alias dedit: (a)

Hoc tamen eſt vero propius, cum condita Roma eſt,
Transferri juſſos in nova tecta lares
Mutanteſque domum tectis agreſtibus ignem
Et ceſſaturæ ſuppoſuiſſe caſæ;
Per flammas ſaluiſſe pecus, ſaluiſſe colonos:
Quod ſit natali nunc quoque Roma, tuo.

Ceterum in media Italia velut in meditullio Orbis Terrarum ſita eſt: quam amœniſſimam regionem contra cavillationes Strabonicas, quaſi non munitam natura, non fertilem agro, non aere ſalubrem, defendit Livius: (b) *Non ſine cauſa*, inquit, *Dii hominesque hunc urbi locum condendæ elegerunt, ſalubberrimos colles, flumen opportunum, qua ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur: mare vicinum ad commoditates, nec expoſitum nimia propinquitate ad pericula claſſium externarum regionum, Italiæ medium, ad incrementum*

(a) *Faſt. Lib.* IV. ℣s 801. *&c.* (b) *Lib.* V. 54.

Digitized by Google

mentum urbis natum unice locum, argumento eſt magnitudo tam novæ urbis. Recte quidem aliquam à mari diſtantiam in metropoli noſtra Livius collaudat, id enim plerique urbium conditores obſervaſſe videntur, patetque in Judæorum Hieroſolyma, Ægyptiorum Memphi, Hiſpanorum Madrito, Gallorum Lutetia, Anglorum Londino, & noſtra denique Amſtelodamo.

Perplures circumſtantias, quas urbs noſtra cum aliis communes habet, ſilentio involvendas eſſe duxi. Non tamen præteribo ſeptem montes, quibus Roma glorioſe ſuperſtructa eſt: ut Naſo jactat: (a)

At quia de ſeptem totum circumſpicit orbem
Montibus, imperii Roma Deumque locus.

Horum ſeptem montium nomina celebrantur vulgo *Palatinus, Capitolinus, Quirinalis, Cælius, Eſquilinus, Aventinus, & Viminalis.*

Palatini montis denominationem deduxit Varro à *palando*, quippe Evander cum ea primum, loca devenerat incertus animi quaquavorſum palatus fuiſſet. Feſtus autem a *balando*, quam vocem boves edunt, derivat. Virgilius tandem ab Evandri proavo Pallante: (b)

Delegere locum & poſuere in montibus urbem
Pallantis, proavi de nomine Pallanteum.

Capitolinus vulgo dici putatur à capite cujusdam nominati *Toli*, quod ibi forte inventum eſt in fundando Saturni templo, idque magis mirandum, ſanguinem in eo repertum fuiſſe ac ſi recenti vulnere cecidiſſet. (c) Alii aliter. Sed & idem vocatur Tarpejus á Tarpejâ virgine quæ pretium ſperans arcem Sabinis prodiderat, & præter ſpem armis eorum opreſſa eſt. (d)

op-

(a) *Triſt.* I. 69. 70. (b) *Æn.* VIII. 54. (c) *Dion. Lib.* IV. *Liv.* (d) *Lib.* I. 11.

Digitized by Google

Quirinalis vocatur a Quiritibus ſive mutatis ex more literis Curetibus, urbis Sabinorum civibus, qui factis induciis in eo monte habitarunt: quod propius vero accedit, quam á Quirini templo ibi exſtructo nomen fluxiſſe.

Quatuor reliquos montes minus celebratos paucioribus abſolvam: *Cælius* vocatur a quodam Hetruscorum Duce, qui Romulo contra Sabinos opem ferebat. (*b*) *Eſquilinus* quaſi *excubinus*, ad excubiis, quas ibi primus ille Regum agebat. (*c*) Aventinus á Rege Albano ibidem ſepulto. *Viminalis* denique à magnâ *Viminum* copia in dumetis iſtius montis olim reperta, ut ex Roſino, aliisque rerum Romanarum ſcriptoribus conſtat.

Diſſertationi huic noſtræ finem impoſiturus, unum vel alterum carmen, quo Romanæ urbis, cujus ſtatim incrementa recenſebuntur, in cœlum gloria extollitur. Sic Propertius canit: (*c*)

Omnia Romanæ cedant miracula terræ
Natura hic poſuit quicquid ubique fuit.

Deinde etiam Martialis, (*d*)

Terrarum Dea Gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil & nihil ſecundum.

Poſtremo Tibullus ità præclarè: (*e*)

Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Qua ſua de cælo proſpicit arva Ceres:
Quaque patent ortus & qua fluit antibus undis
Solis anhelantes abluit amnis equos.

(*a*) *Alexand. Gen. Dier.* VI. 11. (*b*) *Roſin. Lib.* I. *Cap.* I. (*c*) III. 22. (*d*) XII. 8. (*e*) II. 5.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google